

**D. Ernestus Henricus Weber ... Procancellarius panegyri in medicam in
auditorio iuridico die XXII. M. Martii A.R.S. MDCCCXXXVI celebrandam
indicit : Annotationes anatomicae et physiologicae. Prol. I.**

Contributors

Weber, Ernst Heinrich, 1795-1878.
University of Glasgow. Library

Publication/Creation

[Leipzig] : [publisher not identified], [1836]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ukyzbuka>

Provider

University of Glasgow

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

D. ERNESTVS HENRICVS WEBER

ANATOMIAE PROFESSOR PVBL. ORD.

ET

VNIVERSITATIS LITERARVM LIPSIENSIS

H. T.

P R O C A N C E L L A R I V S

P A N E G Y R I N M E D I C A M

I N

A V D I T O R I O I V R I D I C O

DIE XXII. M. MARTII A. R. S. MDCCCXXXVI.

CELEBRANDAM

INDICIT

Annotationes anatomicae et physiologicae.

Prol. I.

Glasgow
University Library



RQ 1942/86

De arteria spermatica deferente.

Hoc nomine arteriam appello ab anatomicis nondum descriptam, attentione dignam.

Ad testiculum duae arteriae spermaticae descendunt, altera notissima illa, ab aorta originem ducens, *spermatica interna* ab anatomicis dicta, altera adhuc ignota ex arteria hypogastrica proficiscens, simul cum vase deferente e pelvi minori ad canalem inguinalem et inde ad testiculum procedens. Hanc igitur, quoniam vas deferens usque ad testiculum comitatur, *spermaticam deferentem* nominavi. *Arteria spermatica externa*, ex arteria epigastrica originem ducens, hoc loco propterea non commemoranda est, quoniam non ad testiculum ipsum, sed tantum ad tunicas vaginales funiculi spermatici et ad propriam testis ramos spargit. Oritur plerumque *arteria spermatica deferens* ex arteria umbilicali. Nascitur nimirum ex umbilicali ramus vesiculae seminali destinatus et ex hoc *arteria spermatica deferens*.

Arteria spermatica interna superiori loco prope caput epididymidis in substantiam testiculi penetrat, *arteria spermatica deferens* loco inferiore prope caudam epididymidis testem adit. Utraque arteria ramum epididymidi exhibet, deinde testiculo ramos dat, et in tunica albuginea permagna anastomosi invicem coniungitur.

De ulteriori eius distributione in substantia testiculi alio loco dicetur.

Arteriam spermaticam deferentem in corpore recte formato semper adesse e sectionibus a me saepe repetitis concludere licet. Quae, etsi difficiliter materiis in vasa iniectis repletur quam *arteria spermatica interna* tamen eadem fere diametro est.

Quae quidem arteria non solum chirurgorum, castrationem perficientium, verum etiam physiologorum attentionem meretur.

Constat nimirum inter omnes organa generationis virorum et foeminarum ita formata esse, ut singula cum singulis comparare liceat.

Mammae in utroque sexu adsunt, penis clitoridi, scrotum labiis externis, testiculi ovarii, vasa deferentia labiis, ligamenta uteri rotunda gubernaculo Hunteri comparanda sunt.

Cuius quidem comparationis rationes etiam e nervorum et vasorum ad has partes distributorum origine petere licet.

Plexus nervorum spermaticorum testiculi enim eandem originem habent quam plexus nervorum ovarii.

Arteriae spermaticae internae in foeminis ad ovaria, in maribus ad testes accedunt.

Organa genitalia mulierum vero praeterea arteriam uterinam ex umbilicali arteria aut hypogastrica recipiunt, quae magna anastomosi cum spermatica interna coniungitur. Nam uterina arteria ramum permagnum ad tubam et hinc ad ovarium mittit, in arteriam spermaticam internam transeuntem, ita ut iniectioe omnia e vasa uteri vasis spermaticis et vice versa omnia vasa ovarii etiam ex uterina replere liceat.

Similis igitur arteriarum coniunctio in maribus quoque adest arteria spermatica deferens ramo illi comparanda est, ab arteria uterina ad tubam et ovarium procedenti.

De vesica prostatica, rudimento uteri in corpore masculino.

Constat inter omnes urethram per prostatam penetrare ibique ductus ejaculatorios recipere. Eminent nimirum in urethrae parte a prostata inclusa in pariete posteriori *colliculus seminalis* seu *caput gallinaginis*. Pars huius colliculi vesicae urinariae propior crassior est. In media eius parte ostium satis magnum et impar hiat, ad *vesicam prostaticam* in substantia parietis posterioris prostatae reconditam ducens, quam ut accu-

ratius indagarem, aëre vel materia fluida solidesciente replevi. Tubulum nimirum in ostium illud intuli filoque inflatam vesicam constrinxi. Vesica sic distenta in aliis hominibus parvae in aliis maioris fabae magnitudinem habuit. Colligendo et asservando succo prostatico vesica non destinata est. Apertura ostii enim ad hunc finem nimis ampla foret.

In utroque latere eius vesicae in superficie convexa ductus eiacularii exitum habent. Orificium eorum satis angustum est. Pars anterior vesicae prostaticae nimirum in urethram prominens, a membrana pituitaria urethrae obducitur. Sub hac membrana in utroque latere ductus eiacularius ita positus est, ut comprimatur si urina vel aliud quidpiam urethream repleat et extendat. Hinc fit ut aër in urethram inflatus vesiculas seminales non repleat. Sibi enim ipse viam claudit, angusta ostiola ductuum eiaculariorum comprimens.

Reliqua colliculi seminalis pars magna ex parte e multis ductibus excretoriis prostatae tela cellulosa fultis et iunctis constat.

Non errare mihi videor, si vesicam prostaticam pro rudimento uteri habeo.

Embryones masculini taurini enim Rathkio teste dimidio graviditatis tempore nondum elapso canali ex urethrae procedente instructi sunt, in cuius finem anteriorem et superiorem vasa deferentia transeunt. Hic canalis vaginae et utero similis est. Rathkius arbitratur hunc canalem postea plane evanescere. Equidem vesicam prostaticam ex eo oriri nullus dubito.

In vesica prostatica arteria ramos spargit eodem ramo arteriae hypogastricae originem trahens, e quo arteria *spermatICA deferens* editur, et e quo arteriae vesiculae seminalis proveniunt.*)

*) Rathke, *Abhandlungen zur Bildungs- und Entwicklungsgeschichte des Menschen und der Thiere*. Th. I. p. 58, 59. Tab. V. Fig. 10, 11.

De vesicularum seminalium structura.

Vesicularum seminalium humanarum structura non tam simplex est, quàm ab anatomicis describitur. Quam ut accuratius indagemus, necessarium est, ut eas fluido mox in solidam materiam abeunte penitus repleamus, telam cellulosa musculosaque tunicam eius tollamus atque sic membranam mucosam detegamus. Quem in finem prostatam aperui, ostia ductuum eiaculariorum ligavi et per vasa deferentia materiam illam fluidam in vesiculas inieci.

In colliculo seminali, ut supra iam diximus, tria hiant ostia maiora, unum medium impar, in vesicam prostaticam ducens, duo lateralia multo minora, ab utroque latere iuxta vesicam prostaticam posita. Haec sunt orificia ductuum eiaculariorum, qui a latere vesicae prostaticae in pariete posteriori prostatae decurrentes, dimidio pollice longiores sunt, et quo magis ascendunt eo ampliores fiunt. Uterque ductus eiacularius sub acuto angulo denique in vesiculam seminalem et in vas deferens transit.

Vesicula seminalis est appendix coecus tubo flexuoso similis, canalem multo ampliorem includens quam ductus eiacularius et vas deferens. Diameter canalis 2''' — 3''' Paris. aequat. Canalis tam tortuosus est, ut iterum iterumque ascendat et descendat, vertatur et revertatur. Singulae flexurae tela cellulosa inter se continentur. Canalis caeterum ramosus est. In aliis hominibus enim in plures canales tortuosos fere aequae longos dividitur in aliis unus canalis perlongus multis brevibusque ramis instructus et excrescentiis gemmarum formam habentibus praeditus est.

In omnibus quos inquisivi hominibus parietes vesicularum, innumeris cellulis, vesiculis pulmonalibus admodum similibus, obsiti sunt. Itaque cellulae partim in glomerulos minores maioresve congestae partim in superficie dispersae totam superficiem ita tegunt, ut interstitia a cellulis non tecta frustra quaeras. Superficies vesicularum seminalium materia penitus repletarum magnam propterea similitudinem habet cum superficie glandularum conglomeratarum, pulmonum vel pancreatis, quorum

ductus excretorii materia iniecta usque ad fines coecos repleti sunt. Nul-
lam vero glandulam novi vesiculis seminalibus tam similem, quam glau-
dulas Meibomianas. Hae enim glandulae et ipsae canalium tortuosorum;
formam habent quorum parietes innumeris cellulis in canalem hiantibus
obsiti sunt. Haec exigua magnitudine potissimum ab iis discrepant.

Minimae cellulae vesicularum seminalium diametrum habent 0,3
Lin. Par. maxima 0,1 Lin.

A glandulis conglomeratis hac re maxime discrepant vesiculae semi-
nales, quod canales non iterum iterumque in minores minoresque ramos
dividuntur, sed cellulae et glomeruli cellularum immediate in cavum am-
plum canalisi hiant.

Dissectis igitur vesiculis seminalibus vacuis rete septulorum exiguo-
rum in interna parietis superficie conspicimus simile reticulo illi quod in
vesicula fellea etiam deprehenditur. Et profecto quidem eandem etiam,
utilitatem, uti alio loco demonstrabimus, reticularis textus vesiculae felleae
habet quam hic in vesiculis seminalibus observatus. Septula illa maiores
cellulas invicem separant e minoribus compositas, eoque magis promi-
nent, quo maiores glomeruli cellularum sunt, quos invicem separant.
In cavitate maiorum glomerulorum rete minorum septulorum conspicitur.

*Initium vasis deferentis similem structuram habet
quam vesiculae seminales.*

Vas deferens eo loco quo ad vesiculam seminalem proprius accedit,
tumet. Causa tumoris partim in maiori amplitudine canalisi, partim in
flexuris eius, maxime vero in brevibus ramis et in glomerulis cellula-
rum quibus obsitum est vas deferens, posita est.

Cellulae fere eandem formam et magnitudinum habent quam in ve-
siculis seminalibus. Glomeruli cellularum vero parietibus adiuncti paulo
minores sunt.

Quam vasis deferentis fabricam si accurate cum structura vesiculae
seminalis comparas non dubitabis, quin utrique idem finis sit. Nonnun-

quam adeo ductui eiaculatorio nonnulli glomeruli adhaerent e cellulis compositi et cum ductu eiaculatorio communicantes.

Vesiculae seminales et vas deferens fibris muscularibus praedita sunt.

Telam, cellulosam et vasa sanguifera cultro a vesiculis seminalibus auferens, semper stratum sub rubrum, vere musculosum inveni, membranam pituitariam seu propriam tegens. Fibrae musculares non omnes ita positae sunt, ut canalıs superficiem sequantur, sed etiam hic illic ab altera ad alteram flexuram transeant.

Quas quidem fibras musculares haud facile deteges et persequeris, nisi vesiculis seminalibus materia solidescēte antea repletis. Eodem adnıculo quoque ad tunicas vasis deferentis accuratius inquirendas usus sum, et hoc modo eo etiam perveni, ut ablato strato celluloso in hoc canali distento fibras musculares detegerem, quorum stratum externum longitudinem canalıs sequi videtur.

Fluidum vesiculis seminalibus et vase deferente contentum num eiusdem naturae sit?

Ioh. Hunterus probare studuit fluidum vesiculis seminalibus contentum valde diversum esse.

Ad cuius sententiae veritatem examinandam, succum, vase deferente inclusum et vesiculis seminalibus contentum inter se comparare necesse est. Miror igitur Hunterum viam minus tutam ad probandam opinionem praetulisse. Comparavit nimirum semen homine vivo effusum cum fluido in vesiculis seminalibus mortuorum contento, eosque succos indole plane diversa invenit. In semine eiaculato non solum fluidum teste secretum, sed etiam succus prostaticus inest.

Semen in diversis partibus vasis deferentis contemplatus inveni semen non semper ubique eodem colore esse. In vase deferente epididymidis semen flavescens, in media parte vasis deferentis eiusdem ho-

minis, albidum, in fine vasis deferentis atque in vesicula seminali e flavo rubrum (*bräunlich*) inveni. In aliis hominibus semen in toto vase deferente et in vasis seminalibus omnibus colorem e flavo rubrum habet ita, ut lobuli testis adeo hunc colorem habeant. In vesiculis seminalibus vero hic color semper maxime perspicuus est, fluidum contentum autem simul magis liquidum et minus tenax est. E prostata plerumque succum albidum aut ex albo flavescentem expressi, plane diversum a succo vesiculis seminalibus contento. Ut certiores hac de re fiamus num in diversis partibus vasis deferentis color seminis sensim sensimque eo magis mutetur quo longius semen per hunc canalem procedit, necessarium est semen diversorum animalium repente necatorum inquirere.

Sed his praemissis, producendi nunc sunt Candidati Praenobilissimi summorum in arte medica honorum

GUSTAVUS HENRICUS SCHERZER

MEDICINAE BACCALAUREUS,

qui de vita, studio medico dicata, ita exposuit:

Natus sum Lipsiae anno 1805, patre IOANNE DAVIDE SCHERZERO, chirurgo huius urbis seniore, et matre FRIDERICA, e gente ZOPFIA, quam ante decem abhinc menses dira mors mihi eripuit; patrem vero optimum, anno suae aetatis septuagesimo nono summa adhuc valetudine fruentem superstitem laetor, cuius vitam ut ad extremos usque limites producat, Deum O. M. ex animo precor.

Primis literarum atque religionis elementis in schola huius urbis civica imbutus, scholae dein Thomanae traditus sum, ubi per octo annos b. ROSTIUM, REICHENBACHIUM, b. FRIDELIUM, WEIGELIUM et HOHLFELDIUM praeceptores habui dilectissimos et de me bene meritos. Civibus academicis a beato BECKIO, t. t. Rectore Magnifico adscriptus in philoso-

phicis adii Exc. KRUGIUM, in physicis b. GILBERTUM, in botanicis et zoologicis Exc. SCHWAEGRICHENUM atque KUNZEUM, in chemicis beat. ESCHENBACHIUM. In anatome generali et speciali atque in dissecandis cadaveribus Exc. WEBERUS et b. BOCKIUS, in physiologia ille et Exc. KUEHNIUS sen. praeceptores mihi fuerunt; anatomiam pathologicam Exc. CERUTTIUS, pharmacologiam Exc. HAASIUS, pathologiam atque therapiam Exc. PUCHELTUS et Exc. CERUTTIUS mihi impertierunt. Praelectionibus Exc. HASPERI de historia medicinae pragmatica, Ill. HEINROTHII de antropologia, Exc. WENDLERI de medicina forensi, Ill. CLARI de therapia speciali, Exc. KUHLLI de chirurgia atque ophthalmiatria interfui. Denique institutum clinicum regium ducibus Ill. CLARO, Exc. KUHLLIO et Exc. WENDLERO, obstetricium Ill. IOERGIO, policlinicum Exc. CERUTTIO moderantibus ophthalmologicum vero sub Exp. RITTERICHII auspiciis frequentavi.

Contigit mihi quoque, ut per aliquot tempus Berolini clinicis scholis Ill. BARTHELSII et Exc. WOLFII, nec non chirurgicis ad lectos aegrotorum institutionibus atque operationibus Ill. V. V. RUSTII et de GRAEFII interesse possem; ibidem vero etiam b. RUDOLPHIUM de anatomia atque physiologia atque Exc. IUNKENUM de ophthalmiatria audiui.

Quibus praeceptoribus omnibus, hac occasione mihi oblata, nec non singulis de me meritissimis, inprimis Ill. CLARO, Exc. KUHLLIO atque Exc. CERUTTIO, qui mihi semper favoris et benevolentiae dederunt documenta, publicas nunc ago gratias et Deum O. M. precor, ut omnes, salvos atque incolumes servare velit.

Superatis apud ordiensem medicum examinibus dissertationem „De Prosopalgia“ scripsit et die I. Martii a. c. contra adversariorum obiectiones ita defendit, ut Doctoris Medicinae et chirurgiae honoribus ornaretur.

Alter Candidatus Praenobilissimus

DAVIDES EDUARDUS KRETZSCHMAR

MEDICINAE BACCALAUREUS,

haec de vita ad ordinem medicum retulit:

Natus sum Lipsiae anno huius saeculi duodecimo, patre DAVIDE, apparitore praefecturae circuli, et matre CAROLOTTA, e gente VOGLERIA, quos dilectissimos parentes Deus Opt. Max. diu salvos et incolumes mihi servet, pio precor animo ac sincero. Primis literarum elementis in schola huius urbis gratuita senatoria, ubi b. PLATO et Doct. DOLZ habui praeceptores, quorum insignium de me meritorem non possum non in dies gratus recordari, imbutum anno aetatis decimo tertio tradidit pater curae ac disciplinae Doct. BANDIK, cui omnia, quae e literis in usum meum converti, grato animo debeo, quemque ob magna disciplinae et paterni quasi amoris beneficia, quibus me condecorare haud dedignabatur, nominare delector.

Postquam inde per breve modo tempus inclytam scholam Thomanam frequentassem et egregiam b. ROST, Doctt. STALLBAUM, HOHLFELD, IAHN, LIPSIUS — virorum de educatione iuvenum eximie meritorum — doctrinam expertus essem, anno aetatis decimo octavo inter alumnos collegii medico-chirurgici, quod floret Dresdae, receptus scholis anatomicis theoretico-practicis, physiologicis Ill. SEILER, physicis et chemicis Exc. FICINUS, botanicis, zoologicis et mineralogicis Ill. REICHENBAH, nec non praelectionibus de pathologia et therapia generali atque de materia medica Exc. ab AMMON interfui; in anatome practica sum exercitatus ab Exp. FRAENZEL et b. GUENTHER. Porro scholas pathologico-therapeuticas Exc. CHOULANT, chirurgicas Exc. PECH et institutum clinicum eodem duce frequentavi, nec non scholis de akiurgia et arte fascias applicandi Exp. ANSCHUETZ assedi.

Post annos duos Lipsiam petii et ab Ill. HAASE t. t. rectore magnifico, civibus huius universitatis literarum adscriptus, scholas philosophicas Exc. KRUG, anthropologicas Ill. HEINROTH, mathematicas et physicas b.

BRANDES, anatomicas, physiologicas Exc. WEBER frequentavi; accepi deinde anatomen comparatam ab Exc. VOLKMANM, chemiam theoreticam ab Excc. ERDMANN et KUEHN iun., botanicen et historiam naturalem ab Exc. SCHWAEGRICHEN, anatomiam pathologicam ab Exc. CERUTTI et therapiam generalem ab Exc. RADIUS.

Uno et quod excurrit anno ita praeterlapso, has praescriptas doctrinas examine pro Baccalaureatu absolvi.

Deinde mihi tradidere fragmenta e materia medica Ill. SCHWARTZE, pathologiam et therapiam specialem Exc. HAASE et CERUTTI, diaetetice Exc. RADIUS, psychiatriam Ill. HEINROTH, medicinam forensem Exc. WENDLER, artem ophthalmiatricam Exc. KUHLE et KUEHN, pater, artem obstetriciam Ill. IOERG, examinatoria de chirurgia Exc. KUHLE et denique curae morborum internorum operam navavi in scholis clinicis Ill. CLARUS, Excc. WENDLER et KUHLE, in instituto obstetricio Ill. IOERG, et in ophthalmiatrico Exc. RITTERICH ducibus.

Theoreticis usum iungendi satisfacere desiderio meo Exc. WENDLER et Exp. SCHULZE, cognatus mihi dilectissimus, quibus ducibus prima in praxi medica stipendia merui.

Quibus viris omnibus, pro repetitis erga me humanitatis atque benevolentiae documentis pias gratias et sinceris hic publice profero.

Superato nunc etiam apud Ordinem Medicum tentamine practico candidatus dignus iudicatus est Doctoris medicinae honoribus, si praeterea publicum doctrinae specimem dissertatione bene elaborata et rite contra adversarios defensa exhibuisset. Die igitur XXII. Martii a. e. disputatio inauguralis circa „*Linamenta physiologiae morborum*“ instituetur, quam solemnitatem academicam, ut Vos RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, PROFESSORES ET FAUTORES EXCELLENTISSIMI, COMMILITONES ORNATISSIMI praesentia vestra celebritis humanissime rogavi.

P. P. Dom. Chr. V. Iudica MDCCCXXXVI.